



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

XVI. An vnum sit obiectum vsus, & quid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

cuntur: sex verò numerati colores, licet medij dicantur, putandum non est ex extremis formaliter componi, sed potius qualitates esse simplices, sicut extremas, vt docet Aristoteles 3. de sensu, & sensibili, ac patet, quia non sunt ex mixtione remissorum extremorum, sed resultant per se ex propria elementorum mixtione, vt videre licet in nubibus, vbi diuersi sunt colores tam medij, quam extremi secundum diuersas mixtiones lucidi, & diaphani ad opacum terminati: dicuntur ergo medij propter similitudinem aliquam maiorem, vel minorem ad alterum extremorum, nam requisita proportio inter lumen, & perspicuum terminatum ad generationem albedinis, ex nimia opacitate, & magna luce constat, ad generationem verò nigredinis oppositum in extremis requiritur: ad ceteros deinde colores exigitur proportio media, vnde & medij appellantur: fatemur tamen aliquando etiam dari medium per participationem extremorum, veluti si albedo præexistens remittatur, misceturque nigredini: tunc enim fuscus ille color simplex non erit, sed duo extremi in remissis gradibus.

Ultimo est aduertendum inter colores quodam esse veros, alios apparentes; vt Aristoteles notat libro de coloribus, & de sensu, & sensibili, cap. 3. & 3. Meteor. cap. 4. Veri secundum rem dicuntur, qui subiectis insunt, apparentes, qui tantum in esse apparent, quales in columbarum collis: si enim ex diuerso situ conspiciantur, diuersi apparent, quod non contingeret, si verè inessent, vtrosque autem discernendi regula diffilis est. Quis enim dicat, quales sint colores apparentes in nubibus: hinc enim tam veri videntur, quam qui inter nos sunt: præsertim quia reperitur ibi causa sufficiens ad causandum colorem. Vnde hanc partem docuit D. Thomas 3. Meteor. cap. 4. quem Colonienfes, & alij sequuti sunt. Aliunde verò apparentes esse suadet, quòd citò transseant, & facili de causa mutantur: atque ita sentiunt Venerus 3. Meteor. & Soncin 7. Metaph. quæst. 9. art. 1. Similique difficultas est de colore ex reflexione solaris radij à vitro colorato: verum enim colorem esse inde probari videtur, quod permanens, fixusque sit, atque vndique idem semper conspiciatur: aliunde verò minimè verus putabitur, quia illius causa nulla se offert: difficile ergo est veros colores ab apparentibus discernere.

Dici tamen potest, si color semper, eodemque modo permaneat, verum esse, ac si breui transeat, obseruandam esse causam illius, quæ si proportionata generationi coloris iudicetur, verum quoque colorem iudicandum esse, quantumlibet breui euanescat, atque huius generis esse colores iridis, & nubium, probabilius videtur, cum ibi ea mixtio qualitatum, licet dissipata facili, concurrat, quæ in mixtionibus alijs magis permanentibus dari solet: si verò causa non appareat sufficiens ad producendum colorem, maximè si ex parte rei visæ non sit facta variatio, sed ideo tantum varij doctores appareant, quia potentie applicatio, situlve fuit variatus, tunc planè deceptio quædam potentie est: sicque sentiendum de coloribus, qui in collo columbæ apparent, ac etiam de illo, qui per reflexionem lucis ex vitro colorato conspici putatur, vt supra etiam diximus, nam quæ admodum cum obiectu album cernitur per medium rubrum apparet rubrum ob confusionem specierum ipsius obiecti, atque medij, ita in præsentī casu id quod reflectitur, splendor quidam tantum est admixtus speciebus vitri colorati, quæ intensiores euadunt, atque vehementiores ex inflammatione, seu illustratione radiorum, quæ vitri species simul cum speciebus lucis reflectuntur vsque ad visum, vnde apparet splendor ille lucis coloratus. Qui plura de

Franc. Suarez de Anima.

coloribus desiderat, legat Peregrin 2. de Anima, cap. 7. quæstionem, sed obscure satis loquitur, vt asolet.

CAPVT XVI.

Sitne vnum obiectum visus, & quid sit illud.

IN quæstione hac certum est, visum habere aliquod obiectum adequatum, tale autem dicitur, extra quod ferri nequit potentia, ita tamen vt nihil intra eius ambitum sit, in quod ferri non possit: omnis autem potentia adequatum obiectum habet necessario, imò & vnam rationem formalem obiecti sibi adequatam vendicet, à qua sumat speciem, & ad quam per se primo ordinetur: hoc ergo posito difficultas est in assignando visus obiecto. Nam cum visus tum lumen, tum etiam colores percipiat, non constat, an horum aliquod, an verò aliquid illis commune sit obiectum adequatum visus, itemque an vtrumque æqualiter videatur, necne?

Ad huius difficultatis decisionem prius explicandum est quo modo lumen requiratur ad videndum: dupliciter enim, vt supra notauimus, rem videri contingit, aut tanquam terminum visionis, sicut obiectus paries videtur, aut tanquam viam, sicut videtur aer interiectus quasi in transitu, cum visus non sitat in re diaphana: certum ergo est eorum, qui in transitu videntur, lumen esse videndi rationem, ibi enim lumen primo, & per se conspiciatur. Difficultas ergo est de ijs, quæ videntur vt termini, vbi rursus notandum, quod terminat visionem esse posse, aut lucidum tantum, vt ignis, vel stella, aut etiam coloratum, vt paries. Dicemus primo. Obiectum lucidum videri potest ratione lucis tantum sibi inhaerentis, absque eo quod requirat lumen in medio. Probatur ex Aristotele libro 2. de Anima, cap. 7. textu 72. dicente, res quasdam videri in tenebris, quod etiam experientia monstrat, cum à longinquo lucernam conspiciamus per densissimas noctis tenebras. Respondet tamen Auicenna libro 6. naturalium, p. 3. cap. 3. hæc ipsa lucida illuminare medium, quantum necesse sit, vt videantur, differentiamque ab Aristotele adductam inter ea, quæ in tenebris, aut in luce videntur, interpretatur quòd vtraque quidem videantur per medium lucidum, quædam tamen aliunde lucidum supponere, vt species imprimant, ideoque dici videri in lucido, quædam verò illud efficere, quæ propterea in tenebris videri perhibentur. Quam doctrinam videntur amplecti D. Thomas, & Caietanus in citato loco Aristotelis. Quod tamen non placet alijs asserentibus præfata lucida videri in tenebris, medio nullo collustrato, consonatque experientie, nam oculi felium in cubiculo prorsus obscuro conspiciuntur, qui tamē habere non videntur vim illustrandi totum cubiculum. Aristoteles quoque de sensu & sensibili, cap. 2. scribit, corpora nonnulla leuia, atque polita ad fulgendum in tenebris apposta esse, non tamen ad lumen præbendum.

De hac disceptatione cenfeo actionem rei lucidæ duplicem esse, vnam productiuam luminis, alteram specierum visualium, quæ actiones non videntur subordinari, ita vt illuminatiua præcedat naturæ, ac disponat medium ad specierum productionem, nam sicut ipsa illuminatiua immediatè sit circa subiectum omnino tenebrosum, ita & actio specierum productiuæ posset immediatè fieri circa medium carens lumine, neque est ratio fingendi illuminationem medij prærequiri tanquam specierum dispositionem, & hoc est quod præcipue intendimus in cōclusionē. An verò prædictæ duæ actiones semper sese coniungant, ad

rationem per-
tingant, quo
non accedit
lux.

rem non pertinet, estque utriusque probabile: cum enim utraque actio fiat sine contrario, procedatque à principio agente naturaliter, credi potest utramque semper fieri ad æqualem distantiam. Aliunde autem apparet posse ad maiorem distantiam rem lucidam diffundere species, quam lumen, cum illa sit lumine imperfectior, ac proinde minorem requirere virtutem, ut diffundatur ad maiorem distantiam: utraque ergo pars est probabilis, sed hæc ultima videtur probabilior, quam etiam confirmant adductæ experientie.

4.
2. Assertio
tripartita.

1. Pars sua-
detur ex D.
Th. aliter.
et aliis.

Dico secundò. Color, ut videri possit, ac imprimere in visu speciem, per se exigit, ut sit illuminatus, ex parte autem medijs requirit lumen ex consequenti magis, quam per se, ex parte tandem potentia simpliciter non est necessarium. Hæc conclusio iure tribuitur D. Thomæ: licet enim 1. p. q. 79. art. 3. ad secundum dubiè loquatur, attamen q. 67. art. 3. ad tertium, absolute scribit lucem coloris actu visibiles efficere. Item in 1. dist. 45. a. 2. ad primum, & dist. 48. art. 2. ait in obiecto visus colorem se habere ut materiale, & lucem ut formale. Idem repetit in 2. dist. 20. q. 2. art. 2. ad 2. & 1. contra gentes, cap. 76. & 2. 2. q. 1. art. 3. Idem docet Albertus de sensu, & sensibili, tractatu 2. capit. 1. & 2. alijs locis citatis præcedenti capite, asserentes colorem esse qualitatem distinctam à lumine, manereque absente lumine: addit tamen, in ordine ad visum, colorem non esse in actu, sed in potentia tantum: fieri verò in actu à lumine, à quo vim accipit immutandi visum. Idem opinantur Auicenna, Theophilus, Egidius, & Caietanus supra citati, consonant Aristoteles textu 18. tertij de Anima, dicens lumen facere colores actu, utique visibiles, quia antea erant in potentia. Sed exponunt aduersarij, actum facere, quatenus absque lumine non possunt videri. Sed non satisfaciunt, nam rem actu facere, est proprium formæ, dispositio autem requisita ex parte passivi nec facit, nec constituit in actu ipsum agens. Idem præterea colligitur ex definitione coloris, dum dicitur extremitas perspicui, & ubi color definit Aristoteles in ordine ad visum, atque pronuntiat esse illum tantum in extremitate perspicui, seu illuminati: color ergo per lumen constituitur in esse visibilis, quod etiam ex toto illo capite tertio de sensu, & sensibili licet colligere. Tandem lib. 2. de Anima, cap. 7. scribit oportere omnia visibilia reduci ad vnum, in quo conveniant, non possunt autem reduci, nisi ad lumen. Accedunt quoque experientia ad hoc confirmandum, nam obiectum coloratum nunquam nisi illuminatum videtur, eoque perfectius, quo est illuminatius: lignum ergo est, quod ex se requirat lumen, ut possit videri. Præterea compertum est res lucidas per se esse visibiles, neque indigere aliquo extrinseco, ut videantur, ut solem, cæteraque astra, ignem, & si quæ sunt alia per se lucentia, res autem coloratas omnes indigere illustratione: ergo lumen reuera complet rationem visibilis etiam in ipsis coloribus. Quocirca arbitror sicut color est, veluti umbra, & participatio lucis, ita ex se habere illustrationem quandam visibilitatis, atque ex se aptum esse, ut videatur, deesse tamen illi complementum virtutis, idque à lumine mutuari, atque adeo cum lumine sibi inherente cōplere vnum perfectum visibile, in quo sanè differt color ab alijs qualitibus, quod nec per se sola, nec cum luce possint videri: color autem ex se habeat ut possit videri, adiutus scilicet virtute lucis: ita ergo interpretandus venit Aristoteles, & quicumque aiunt colores per se esse visibiles.

5.
2. Pars asser-
tionis expo-
nitur.

Et hinc liquet secunda pars conclusionis, color enim non nisi per aërem illuminatur, & ideo eo ipso, quod illuminandum est obiectum, consequenter medium erit illuminandum, quamvis id

per se non postularetur. Itaque sicut res lucida ex se visibilis est, seu medium sit illuminatum, seu tenebrosus: ita color illuminatus ratione luminis iam sibi adherentis euadit per se visibilis, produciuntque suarum specierum per quodlibet medium: unde, quod hoc illuminatum sit, accidentarium est, quamvis fortasse deseruiat illuminatio medijs, ut species efficaciores prodeant, adiuvando nimium ipsius coloris actiuitatem. Atque ex his liquet conclusio probatio conclusionis. Nam color illuminatus, constitutus est tanquam quoddam lucidum: unde ergo modo visibilis erit, acres lucida: quod enim ex se habeat lumen, vel ab alio, nihil refert: luna enim visibilis est per medium etiam non aliunde illuminatum, licet non à se, sed à sole luceat: quare sicut res lucida per se non requirit medium illuminatum, ita nec coloratum lumine perfusum illud requirit. Et confirmatur experimento, nam res colorata, lumineque affecta sui speciem fundit per interiectam aërem, etiam si totum non illustratur, cum videatur ab existente in obscuro recessu, ut experientia demonstrat: non ergo medijs illustratio per se requiritur. Quod si contendamus medium semper illuminari saltem remissè, hinc colligemus id per se non requiri ad visibilitatem obiecti, alioquin dimiuta in medio luce visio foret imperfectior: siquidem stante subiecto imperfectè disposito, forma debitor illi imprimetur: nunc autem licet lumen minuat in magna medijs parte, dum non remittatur in obiecto illuminato, æque perfectè ipsum conspicimus: ergo signum est illustrationem medijs per se non requiri, ut color illustratus sit actu, seu in potentia proxima visibilis. Et hinc patet etiam vltima pars conclusionis. Nam si lumen ex parte organi posceretur, id esset maxime, quia in eo recipi deberent species, ac per illud pertingere ad potentiam quali per medium, sed ex parte medijs non requiritur, ut ostendimus: ergo neque ex parte organi, idemque probatur ex alijs argumentis iam positus.

Ex dictis colligitur decilio præsentis capitis, nimirum obiectum ad æquatum visus esse lumen, & quicquid ex vi luminis manifestatur, seu res illuminata, ut sit. Patet ex dictis, quia quicquid est visibile, sit actu tale, & cōplere, mediante lumine: solet verò aliquando color dici obiectum visus ad æquatum, ut patet in Diuo Thoma sæpe 1. 2. quæstion. octava, a. 2. quæst. 10. art. 2. & 1. partè, quæst. 19. articulo 3. minus propriè tamen nomine coloris extenso ad lucem, quod præstat etiam Aristoteles libro de coloribus, & lib. 2. de Anima, textu 69. & de sensu, & sensibili, c. 3. dum ait lumen esse colorem perspicui. Alij asserunt visibile esse obiectum ad æquatum visus intelligentes per visibile rationem quandam communem à calore, & luce abstrahibilem, sed hoc modo idem ferè per idem explicatur, quare ne circulus fiat, ad ea quæ libro secundo, capite secundo de specificatione potentiarum per obiecta formalia diximus, recurrendum erit.

Secundò sequitur intelligètia diuisionis, quam Aristoteles attulit visibilibus in luce, in tenebris, in utrolibet, quæ sanè sit secundum ea quæ visibilibus accidunt, per se enim requirunt esse actu illuminata, quod verò in hoc, vel illo medio cernatur, conditio est accidentalalis quædam: namque ex se lucent, ideoque per tenebrosus medium videri possunt, alia ab extrinseco illuminantur, ut colores, unde per medium videntur, quod simul cum eis illustratur: quædam denique, quia parum luminis habent, ut quercus putrida, nocticula, oculi felium, piscium suam, ac similia perpolita, quæ ideo in tenebris solum discernuntur, quia cum medijs perfectè illuminatur, absorbentur à maiori luce, ut etiam astra fulgente sole: unde quæ plenius

SVAREZ
de Angelis, opus
6. de anima et
anima.

Tom. 11.
D. V. 2.

plenius lucent, ut ignis, noctu, ac interdiu possunt videri, quamvis etiam hæc duo membra respectu diuersorum confundi possint, ut exemplis est facile videre: credunt tamen alij ea quæ solum in tenebris videntur, lucem non habere, sed qualitatem, lucem, & colorem eminenter continentem, quæ interdiu apparet color, eo quod à diuino lumine offusceatur. Ita citatus Themistius. Ea tamen eminentia minime intelligitur: quare dicendum huiusmodi res lucentes participare aliquid lucis secundum partem magis perspicuas, & aliquid coloris secundum magis opacas: noctuque videri secundum priores tantum, eo quod posteriores tunc perfecte non illuminantur, interdiu verò conspici secundum ipsas posteriores tantum, quia iam satis illuminantur, priores verò non conspici, quia à diurna luce absorbentur. Ita S. Thom. 3. de Anima, textu 72. vbi Commentator, Nyphus, Albert. & Thienensis, latiusque idem Albertus summa de homine, fol. 95.

Thom. 3. de Anima, textu 72. vbi Commentator, Nyphus, Albert. & Thienensis, latiusque idem Albertus summa de homine, fol. 95.

D. Thom. 3. de Anima, textu 72. vbi Commentator, Nyphus, Albert. & Thienensis, latiusque idem Albertus summa de homine, fol. 95.

8. Vltimo sequitur ex dictis, quale debeat esse medium ad videndum: requiritur enim nonnulla inter visibile, & visum distantia, ostendit quidem experientia, visibile super visum positum non videri, distantia verò cum nunquam sit vacua, occupari debet à corpore solum diaphano: corpus namque opacum productioni specierum obstat, si tamen distantia inanis esset, obiectumque visibile sufficienter illuminatum, & visus etiam specie instructus, ac debite applicatus posset fieri visio, quia nihil est quod ad videndi actum amplius requiratur: medium enim plenum ad speciei productionem, conseruationemque in oculo solum requiritur. Circa hæc tamen difficultas restat de ijs qui per medium densum, & opacum inspicere dicuntur, quod minime credo, aut si verum est, causam ignoro, consulari Veracruz lib. 2. Aegidius Theoremate 13. Albertus lib. 22. de animalibus de lyne agens ait fabulosum esse, quod visu peruadat solida, & opaca corpora.

Consula autem lib. 1. de Anima, c. 7. q. 14.

De hac difficultate Consula Consilium lib. 1. de Anima, c. 7. q. 14.

CAPVT XVII.

Verum visio fiat extramittendo, an intus recipiendo.

1. Sententia Platonis.

1. Modum illi explicandi.

Non est consensus Platonis.

4. Explicandi modus.

1. Diximus de obiecto visus: de speciebus autem illius nihil dicendum superest, præter ea quæ dicta sunt in præcedentibus, de actu verò specialis manet difficultas propter antiquam Platonis opinionem, visionem non fieri intra oculum per receptionem alicuius qualitatis, sed fieri potius per emissionem quorundam spirituum. Ita docuit Plato in Timeo, sequitur Aulus Gellius 5. lib. noctium Atticarum, Alcinoüs lib. de decretis Platonis, Priscianus Lydus lib. de phantasia, Plotinus lib. de visione, & nonnulli ex perspectiuis, id quod diuersis modis explicatur: quidam ergo aiunt oculos emitte spiritum lucidum, ac per illum alterare medium, inde verò vsq; ad visibile pertinere quandam splendorem, commisceri speciebus visibilibus, atque ita perfici visionem absq; vlla reflexione ad oculum: sed non ita Plato, ut adnotauit Galen. 7. de placitis, in fine, non enim negat ille ab obiecto deuenire species vsq; ad visum, ut patet ex Theeteto, & ex 6. lib. de legibus, easdemque admittit Galen. ipse Platonem sequutus ibid. & lib. 10. de visu partium, in fin. & lib. 1. prognostico, c. 19. Alii ergo explicatur Platonis sententia, visum in primis emitte lucem vsq; ad obiectum visibile, quod cum appulerit regressi simul cum specie vsque ad oculum, ibique peragi visionem. Ita Galen. Plutarch. lib. 4. de placitis, cap. 13. Gregor. Nyssen. 4. de virib. animæ, cap. 2. Nemelius de natura hominis, cap. 7. Macrobius 7. Saturnalium, cap. 14. Addunt alij lucem emissam ab oculo, spiritibusque

delatam non peruenire ad visibile, sed ad certam vsque distantiam spatij, ad quam etiam species visibiles occurrant, quæ spiritibus commixte reuertantur ad oculum, ut vbi visio perficiatur. Alij denique explicant primum omnium recipi in oculo species intentionales, deinde verò egredi spiritus ab oculo per aërem vsque ad certam distantiam, in illisque esse facultatem formandi visionem, & ideo egredios ab oculo, cum sufficienter approximanur obiecto, formare visionem in aere ipso: opinionem hanc ita explicatam sequitur Valles libro 2. cap. 28.

3. Modus explicandi.

2. Vera assertio.

3. Probatur 2. per dilemma Prior pars dilemmatis multipliciter arguitur.

Sit tamen conclusio. Receptis in oculo speciebus ibidem formatur visio absque illius rei emissionem. Hæc est sententia Aristotelis, quam late probat de sensu, & sensibili cap. 2. sequunturque omnes Aristotelici: atque ita probatur, nam oculus recipit species ab obiecto, & per hanc receptionem obiectum coniungitur potentia visui, quæ proinde constituitur in actu primo ad videndum: ergo satis habet, vnde in se formet visionem: omnia verò alia, quæ adduntur, fragmenta sunt, ac superflua. Maior & ab alijs conceditur, & supra est probata, ac confirmatur. Nam ad sensationes omnium aliorum sensuum nihil aliud requiritur, quam coniunctio cognoscentis potentia, cum cognoscibili, quæ in ipsa potentia sit, medijs speciebus, in eademque formatur sensatio, neque in tali aliquo sensu inducitur necessarium emissio alicuius rei: ergo neq; in visu est coningenda.

Secundò arguitur, expugnando oppositam sententiam, nam vel id, quod emittitur, est substantia, vel accidens, si substantia, (ut Plato, & alij videtur asserere, dum spiritus quosdā emitti aiunt) aut talis substantia generatur in aere, quod euidenter falsum est, cum inter videndum aer non corrumpatur, aliquidve de nouo generetur: aut ea ab oculis egreditur, sicq; tempus nonnullum ponet vsq; ad obiectum, cum tamen etiam, quæ nimium distant, ut astra cum citò conspiciantur, quàm quæ sunt proxima, quod manifestum signū est nullam verobiq; localis delationis moram consumi. Arguit etiam optimè Aristoteles, quoniam ad videndum rem nimum distantem necessarium foret expendere magnam spirituum vim, quæ copiam, quæ vel unico actu videndi consumerentur omnes. Præterea spiritus, cum sint corpuscula, dissipantur facile, nec possent recta ad multam distantiam peruenire, flante præsertim vento, potiusque interdum coningeret videri rem, ad quam non intenderet, si forte ventus ad illam produceret spiritus. Quod si dicas, spiritus perungere solum ad distantiam, in qua conseruari possint ab emittentibus oculis: ergo in tota reliqua distantia, quæ poterit esse multo maior, fiet visio sine emissionem: ergo etiam posset fieri absq; vlla in reliqua parte. Habet præterea euasio hæc absurda, quæ patet in 3. argumento, multaq; ex illatis non potest effugere. Est quoque specialis difficultas in visione per vitrum, quod spiritus illi nequeunt penetrare, nec recurri potest ad poros: tum quia non sunt adeo subtilis, cum nec ignis ipse subtilior vitrum peruadat, tum etiam quia pori rectilinei non sunt, ut oporteret ad visionem.

Si verò dicatur (quæ erat altera dilemmatis pars) non emitti substantiam, sed accidens: fingi Vegetius ad certè nequit quidnam sit præter lumen aliquod, vel splendorem: quod refellitur, primò, quia alias in tenebris posset fieri visio oculis diffundentibus lumen suum, cum contra experientiam sit hæc luminis diffusio vsque ad visibile: lumen quoque tale remissum valde esset, ideoq; sole plurimum lucente, ab oculo non posset emitti, cum præueniretur ab agente fortiori, atque adeo non posset fieri visio. Denique quorsum esset illa diffusio luminis,